



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.  
Theologia Universa**

**Archdekin, Richard**

**Dilingae, 1687**

Caput I. De Iuris & Iustitiæ Natura, Divisione, objecto, subjecto, Dominio,  
Præscriptione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38477**

fecto aut Dominico. *Non licet* 1. Clericis manu propria pugnare. 2. infideles v.gr. Turcas aut Judæos in Societatem Belli adsciscere. 3. Hostem fallere mendacio, sed bene alio stratagemate indifferenti.

**DUELLOM**, quasi duorum bellum, definitur duorum vel paucorum pugna ex condicito suscepta. *Licetum* est quando illud honestat causa rationabilis, ut est necessitas ad sui meram defensionem, vel auctoritas Principis, aut Ducis exercitus illud mandantis, aut permittentis ad bonum commune v.gr. ad retundendam hostium jactantiam, ad propriorum Militum animos excitandos necessarium, quale fuit duellum Davidis cum Goliato quod in Scripturis laudatur.

*Illicitum* est duello certare, 1. Ad tuenda fortunæ bona, pro quibus non licet certo periculo exponere vitam, quæ est bonum Superioris ordinis. 2. Ex mandato etiam judicis illud damnatis ad mortem imperantis. 3. Non licet provocato sistere se in loco condicito provocanti ex intentione se cum illo reconciliandi, & nullo modo pugnandi nisi ad vitæ defensionem cogatur, sic enim lex contra duellantes facile eluderetur. 4. Non licet ad virium ostentationem. 5. Ad veritatis indagacionem. 6. Ad vitandam infamiam ex stulto mundanorum judicio in reculando duello consistentem.

*Pœna Ecclesiastica* sunt, in duellantes, Excommunicatio, & privatio sepulturæ in loco sacro: *Civiles* pœnæ sunt, Bonorum confiscatio, Exilium, Supplicium mortis juxta leges infligendum.

**SCANDALUM** est, quod præbet occasionem peccandi: *Activum* est, quod procedit ab actu scandalizantis: *Passivum* est, quod ab activo illo oritur: *Datum* scandalum, quod de se præbet occasionem peccati: *Acceptum* est, quod accipitur ex actione de se non nata illud causare, sed potius ex alterius infirmitate non rectè judicantis. Certum est *scandalum activum* esse grave & speciale peccatum *Matth. 18.* &c. Ratio est, quod sit intrinsicè malum & Charitati repugnans, præbere se alteri causam peccati, sive hoc intendatur formaliter, sive solum interpretativè peccati alieni causam ponendo.

Peccatum scandali ad peccatum inductivi *duplicem* habet malitiam; unam contra virtutem illam cui repugnat peccatum quod causatur; alterum contra Charitatem proximè: utraque malitia est in confessione explicanda cum numero & conditione personarum quæ in scandalum inducuntur.

Non censetur tamen in scandalum inducere qui alteri *determinato* ad grave peccatum suadet ut potius peccatum aliud levius, sive *minus noxium* committat, sinequeat alter à graviori averti; uti docet *Vasquez, Sanchez, Turrianus, Contra Cajetanum, Layman, Valentiam*. Quia sic non tam malum, quam recessum à majore malo suadere censetur.

**QUÆRES** specialiter, Primò Quinam sunt *Effectus* Charitatis quoad *actus internos*?

Resp. Tres communiter assignantur. 1. *Gaudium* internum, de præsentè bono, cultu, gloria, propagatione divini honoris in quocumque genere materia. 2. *Pax*, sive *confermitas* interna voluntatis nostræ cum divina. 3. Consistit in *miseriordia*, sive displicentiâ interna miseræ alienæ ex motivo Charitatis. Sunt etiam alii Charitatis effectus interni, v. gr. *odium* cuiusvis mali quod Deo opponitur: *Tristitia* de eodem: *Boni* divini desiderium, zelus, spes, & ad pro-

movendum audacia. Horum enim singula à veræ Charitatis motivo & habitu procedunt.

**QUÆRES** 2. Quinam sint Charitatis *Effectus externi* Resp. Assignari Charitatis effectus sive opera, *Septem corporalia, & Septem spiritualia*, quæ his duobus versibus aptè comprehenduntur, primo versu corporalia, secundo spiritualia.

*Visito, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo, Condo, Confule, Castiga, Solare, Remitte, Fer, Ora.*

## DE JURE ET JUSTITIA,

**DE** præcipuis hujus materia *Questionibus tractatur* in hoc Opere Tomo II. Tract. I. De Possessione quomodo faveat dubitanti: Et præcipuè Tract. V. cap. 7. De homicidio, mutilatione, furto, rapina. Item, de contractibus in genere & specie, ibid. cap. 8. & seq. De restitutione cap. 14. De iudice, avvocato, teste, ibid. *Juris Canonici & civilis Regula, Ordo, Materia, & Antiquitates* in singulis. Tomo II. in fine. Pauca alia, præsertim speculativa, quæ porro desiderari possint, ordine Scholarum consueto hic suppeditantur.

### CAPUT I.

De Juris & Justitiæ Natura, Divisione, objecto, subjecto, Dominio, Prescriptione.

**JUS**, pro lege, est præceptum permanens auctoritate legitima latum ad bonum commune. Dividitur in *Jus naturale*, quod natura omnia animalia docuit, *Jus gentium*, quo gentes humanæ utuntur, & in *Jus civile*, quod quisque populus sibi constituit, vel immediatè & per se, vel mediatè per suum Principem, sive suæ communivitatis legitimum legislatorem.

*Jus sumptum pro potestate*, est potestas legitima, hoc est, aliqua lege concessa, ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, aut qualifunctionem, cujus violatio injuriam constituit: qualis explicatur per varios titulos injuriam constituentes, si potestati legitime aliquid constituenti non satisfiat.

*Jus in re*, dicitur, quod adhæret rei sic ut res ipsa sit obligata & pariat actionem realem, id est, ad rem à quocumque possideatur sibi vindicandam. *Jus ad rem* non obligat ipsam rem, sed personam ad aliquid tradendum, vel præstandum, adeoque solum parit actionem ab ipsa persona, non autem rem sibi vindicandi.

**JUSTITIA** prout est virtus moralis, una ex quatuor Cardinalibus, de qua hic, est voluntas jus suum cuique tribuendi constans & perpetua, non quoad effectum seu durationem, sed quoad affectum extendentem se ad omne tempus. *Objectum* ejus *materiale* est justum strictè, sive commensuratum juri alterius; *objectum formale* est honestas relucens in redditione debiti ad æqualitatem: omnis enim virtutis moralis motivum formale est honestas relucens in ejus objecto materiali ut conformi commercio, regulæ, sive dictamini naturæ rationalis.

*Differt* igitur Justitia ab aliis *virtutibus moralibus*. 1. Quod illa hominem ordinet ad alterum, aliæ verò, hominem ordinant ad seipsam: 2. Quod illa versetur præcipuè circa actiones externas, aliæ primariò, & per

& per se circa passiones ordinandas. 3. Quod illa spectet *medium rei*, id est, aequalitatem cum jure alterius, alia *medium rationis*, quod petitur per ordinem ad conditionem personæ operantis, ut temperantia quæ variam præscribit potus & cibi mensuram pro varia hominum complexione & dispositione in particulari, quæ in omnibus non est eadem, aut æqualis, ut in objecto justitiæ.

Justitia strictè dicta dari potest *patri ad filium* in ordine ad filii bona, ut est fama, & alia patris potestati non subiecta: datur etiam *filii ad patrem*, *Dominii ad servum*, si spectentur non formaliter quæ tales, sed materialiter præcisè, quatenus sunt homines. Non datur justitia *Dei ad hominem*: Quia omne jus hominis subest potestati ac dispositioni divinæ: unde si per impossibile Deus promissa homini non servaret, peccaret tantum contra fidelitatem, & veracitatem.

Dividitur Justitia in *legalem* seu generalem, & *particularem*: Hæc subdividitur in commutativam, & distributivam: *Legalis* inclinat hominem, qui est pars communitatis, ad præstanda omnia, quæ sunt legibus constituta ad bonum commune. Est hæc virtus specialis ab aliis distincta, cum habeat pro objecto formali honestatem specialem relictam in eo, quod pars communitatis ei præstet, quod à parte quæ tali debitum est ad bonum commune debite conservandum.

Justitia *commutativa* dirigit partes communitatis in commutationibus & cæteris actionibus, quibus inter se communicant, ut in eis ponatur æqualitas rei ad rem. *Distributiva* est, quæ totum bene disponit ad partes in ordine ad distributiones commodorum & honorum communium, ut in iis servetur æqualitas proportionalis, id est, proportionis rei distribuendæ ad personarum dignitatem, aut aliam qualitatem. Utrique dicitur Justitia *particularis*, quia respicit bonum particulare privatorum. *Legalis* à contrario dicitur generalis: Differunt in eo, quod commutativa respiciat jus strictum, distributiva minus strictum. Justitia *vindicativa* inclinat Judicem & Principem in quibus ea residet ad puniendos malefactores pro ratione delicti commissi in foro præsertim externo.

**DOMINIUM** est jus reale gubernandi, vel disponendi de re aliqua ut suâ. Aliud est *Dominium jurisditionis*, quod est potestas gubernandi suos subditos, vel in temporalibus & dicitur politicum, vel in spiritualibus, & dicitur Ecclesiasticum. Aliud est *Dominium Proprietatis*, quod est jus disponendi de re aliqua tamquam suâ in proprium commodum: Subdividitur in *perfectum*, quod à Juristis definitur jus perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur; à Theologis jus in re ad omnem ejus usum nisi lege prohibeatur; & in *imperfectum*, quod habet vel proprietatem rei sine emolumentis, & dicitur *divinum*; vel emolumenta sine proprietate & dicitur *utile*. Tale habet usufructuarius, eo quod. v. g. fundi, domus, aut alterius rei usum & fructum habeat sine Dominio, quod remanet penes illius rei Dominum directum.

Dominium *Altum* est Principis in bona subditorum ad bonum commune: *Bassum* est civium in sua bona subordinatum Dominio Alto Principis, aut Reipub. legitimæ.

R. P. Arflek. Tom. II.

Ut *acquiratur Dominium* rei, quæ antea nullius erat, sufficit sola ejus apprehensio. Nam quod nullius est, occupanti jure conceditur; Si alicujus erat, requiritur titulus, & ordinariè traditio; quæ cum non requiritur jure naturali, juxta quod sufficit mutuus consensus signis externis expressis, sed solum jure civili, non est traditio requisita in variis casibus jure expressis, uti 1. in beneficiis Ecclesiasticis solâ collatione & acceptance, etiam absenti, sine traditione. 2. Hæres sola additione hereditatis fit aliorum bonorum Dominus, & Legatarius Dominium rei legatæ determinatè acquirit. 3. In donatione aut venditione facta Ecclesiæ, Civitati, aut Pii locis.

*Usum* est, jus utendi re alienâ, sine jure percipiendî ejus fructum ab illius usu distinctum. Hinc qui habet usum v. g. equæ, eâ uti potest ad arandum, non tamen de ejus pullo sibi vel alteri disponere.

*Usum fructus* est, jus rationabiliter utendi re alienâ salvâ ejus substantiâ, & percipiendî fructus ejus; quales in fundo sunt segetes, & in animalibus lac, lana, fetus, pretium locationis &c. Non potest usus fructus alteri *vendi* aut *donari* absque consensu proprietarii, sic ut alter propriè fiat usufructuarius; potest tamen alteri *vendi* omnis ejus utilitas. Constituitur ordinatione, & dicitur *legalis* ex privatâ dispositione, & inde conventionalis.

*Finitur* usus fructus. 1. Morte naturali usufructuarii, 2. Morte civili, 3. Destructione rei, 4. Prescriptione, 5. Cessione usufructuarii, 6. Si usufructuarius in hæresim sit prolapsus, ut jura declarant.

*Usum juris læi*, distinguitur à Dominio in rebus unico usu ad suum finem proprium consumptibilibus, qualia sunt alimenta: Imò de facto in Franciscanis à Dominio separatur.

Id convincit Pontificum auctoritas, præsertim Nicol. III. qui ait, Franciscanos nihil posse sibi aut Ordini acquirere, & Dominium rerum ipsis donatarum, vel retineri à concedentibus, vel transferri in Pontificem. Idem manifestat ratio. 1. Quia non est cur repugnet talem usum separari à Dominio. 2. Quia re ipsâ separatur in singulis Religiosis cujusvis Ordinis, & in conviviiis, ubi singuli habent usum cibi ipsis appositi, non tamen Dominium, ut de illo in ordine ad alios disponant.

Ad *objectiones* in oppositum de Joanne XXII. aliisque.

Resp. Joannes XXII. docuit quidem contrarium, sed tantum ut Doctor privatus. S. Thomas non adversatur, solum enim vult in mutuo non posse separari usum à Dominio rei mutuatæ in ordine ad recipiendum aliquid supra sortem, scilicet accipiendo pretium æquale forti pro ejus Dominio, & auctarium pro illius usu. Donans Franciscanis privatè propter Christum omni commo rerum donatarum, ac proinde, etsi illis non det rei Dominium, sed solum usum, non minus meretur, quam donans aliis Religiosis, sed potius amplius, eo quod donet illis qui ex illo titulo, & suo instituto sunt pauperiores.

**POSSESSIO** est, detentio rei corporeæ, corporis, animi, & Juris adminiculo. *Possessio Facti* est actus possidendi; *possessio Juris* est jus insistendi rei ut suæ. *Possessio Naturalis* est quæ res corpore & animo retinetur, ut dum quis insistit corporali detentioni alicujus rei tamquam suæ: *Civilis* possessio est, quæ res corpore & animo retinetur. Dicitur *retinetur*, quia

F

requi-

rsale  
kin

theo-  
logia

P. IV  
P. 5

requiritur adminiculum corporis ad possessionem inchoandam, non ad eam continuandam, quia illa continuatur etsi alteri possidenda committatur.

*Acquiritur* possessio apprehensione *verâ*, id est, manibus, aut pedibus; *fiat*, id est, traditione signi indicantis Titulum possessionis. *Amititur* possessio voluntate possessoris, rapinâ, furto, diuturnâ absentia, ut si in quibusdam per decennium possessor, nec per se, nec per procuratorem insistat rei sibi vindicande.

Possessio *Bona Fidei* adfert varia legitimi Juris comoda: Quia 1. parit præscriptionem. 2. Jus in dubio rem retinendi, quia melior est conditio possidentis. 3. Tribuit possessori jus rem suam quamdiu possessionem retinet, contra invidiosos etiam armis defendendi, ex jure prævalente ratione Tituli possessionis.

*Natura intellectualis* omnis & sola, est capax Domini, seu potestatis moralis de re ut suâ liberè disponendi. *Deus* habet Dominium omnium creaturarum perfectissimum, utpote fundatum in ratione primi principii, adeoque à se inabdicabile, & creaturis incommunicabile. *Angeli* habent Dominium suarum actionum liberarum. *Homines* insuper rerum externarum suæ potestati subiectarum. *Pueri* & *perpetuo amentes*, sunt capaces Domini, saltem proprietatis: Quia quantum est ex naturâ suâ, habent potestatem de rebus, ut suis disponendi, licet per accidens impeditam ab usu exercendo per seipos, quamvis per alios capaces eam exercere possint.

*Filii familias*, id est, subiecti patris potestati, habent plenum Dominium bonorum *castrensi*, id est, acquiritorum ratione militiæ, & *quasi castrensi*, ratione officii publici, v. g. advocati, medici, &c. *adventitiorum*, id est, acquiritorum v. g. inventione thesauri, ratione operis extraordinarii, donatione, non intuitu Patris, solum habent proprietatem, non usum fructum: *profectorum* verò, id est, ex bonis patris quovis modo proficiscentium, nec Dominium habent, nec proprietatem.

Egrediuntur filii familias è *Patria potestate*, 1. Per mortem patris naturalem aut civilem. 2. Per emancipationem coram iudice. 3. Per lapsum patris in hæresim. 4. Per promotionem filii ad certas dignitates. 5. Per matrimonium, & variis locis per ætatem 25. annorum, & pro varietate legum particularium.

*Potest homini competere Dominium in alterum hominem*, non solum jurisdictionis, sed etiam proprietatis. Constat ex Scriptura approbante jus Domini in servum *Exodi 21. Levit. 25. ad Ephes. 5.* Unde servitus est tantum contra naturam hoc sensu, quod homo seclusis extrinsecis nascatur liber, non verò hoc sensu, quod Dominium in hominē sit contra legem naturæ. Dominium tamen hominis in hominem non est tam plenum, quam in res alias ab homine distinctas: alias enim res potest absque ullius injuriâ destruere, non hominem. Quia tamen Dominus habet jus in omnia servi externa opera, & in ejus personam pro libitu retinendam vel alienandam, dicitur simpliciter Dominus sui servi ratione istius potestatis.

*Homini non competit Dominium suæ vitæ, & membrorum*; Ita *Lessius* alique, contra *Ledesma* &c. Quia vita, utpote substantia hominis, est fundamentum omnis Domini, ideoque non cadit illa sub Dominium hominis, sed solius Dei, qui est principium omnis substantiæ.

Habet tamen homo *Dominium utile* suæ libertatis, vitæ, ac membrorum: Quia eorum est custos à Deo constitutus, & velut usufructuarius, ac proinde potest de illis in suam & alterius utilitatem disponere, etiam per venditionem. Est Dominus etiam *sua sua*: *Malderus, Lessius*, Contra *Cajetanum* &c. Quia per se loquendo potest seipsum ex causa rationabili infamare, licet per accidens subinde id non possit absque peccato, etiam mortali: quando nempe ejus infamia redundaret in grave detrimentum tertii. *Malderus, Sylvest. &c.* putat esse mortale suam famam prodigere: solum esse veniale censet *Sorus, Navarrus, alique*.

Quoad *Dominium in animalia*, &c. sic Theologistunt communiter.

*Animalia fera* & *Sylvestria*, quæ antea nullius fuerunt, vel si alicujus fuerint, naturalem libertatem recuperarunt, sunt primò occupantis, sive in proprio fundo capiantur, sive in alieno: Non tamen animalia de se mansuetæ & domestica, & fera usu mansuetæ; hæc enim licet longius aberrant, quamdiu retinent consuetudinem redeundi, sunt sui Domini, quæ restituenda si capiantur. Hinc suppositâ gravitate materiæ, qui alienas columbas occidunt, aut illicebis ad sua columbaria alliciunt, peccant graviter, & ad restitutionem obligantur, si ipsa materiæ sit gravis.

In *venatione*, si fera ab uno vulnerata sit adeò levis ut fugere possit, est alterius eam capientis: si tamen ita laqueo sit irretita, ut evadere non possit, naturalem amisit libertatem, adeoque non est alterius illam eximentis, sed illius qui laqueum posuit. Quia hæc per suum instrumentum illam quasi manu apprehendit: uti etiam patet ex *l. in laqueum. ff. de acquir. Dominio*.

Licita est, simpliciter loquendo, *venatio in fundo alieno aperto*: Quia cum fera non sint pars fundi, ut arbores, nec in eo amiserint naturalem libertatem, non pertinent ad Dominium fundi: adeoque nullius sunt, & consequenter, primò occupantis: nisi obsteat principis aut Dynastæ justa prohibitio. Si injusta sit venationis prohibitio ad nihil obligat.

*Fodinae salis, carbonum* &c. sunt Domini fundi: Quia sunt fundi pars. *Venas metallicas* sibi servant Principes pro necessitatibus publicis. *Thesaurus*, qui definitur verus depositio pecuniæ, cuius non extrat memoria, jure naturali est inventoris, uti & jure communi si invenitur in fundo proprio: si in alieno ex dimidio est inventoris, & Domini ipsius fuit. Colligitur ex *Sylvestris, insit. de rerum divisione* in jure civili.

*PRÆSCRIPTIO*, seu usu capio, est acquisitio Domini per continuationem possessionis temporis lege definiti. In rigore Juris *Cæsarei* est eadem quæ exceptio, quæ est oppositio quæ auctori litem intendenti, manente litis fundamento, quidpiam opponitur ad ejus actionem repellendam donec exceptioni satisfaciatur.

*Legitima præscriptio transfert rei Dominium*, etiam in conscientia, id est, sic ut tibi liceat rem retinere, quamvis finitâ præscriptione deprehendas eam prius fuisse alienam. Fit quidem hæc Domini translatio cum alterius jactura, sed absque ullius injuriâ. Ejus honestas & justitia fundatur in potestate Reipub. habentis jus disponendi de bonis privatorum ad bonum commune, uti in præfenti casu, ut obvietur litibus, confu-

consulatur paci, & ne rerum Dominiā ferē semper maneat incerta propter titulorum allegandorum varietatem que contingere potest post longum temporis decursum.

Dices, res quæ per sententiam materialiter injustam alicui adjudicata est, non potest retineri post deprehensam sententiam injustitiam: Ergo nec per dictam præscriptionem, si res postea deprehendatur aliena.

Resp. Disparitatem esse, quod iudex sententiam ferendo non conferat jus, sed tantum declarat quis videatur jus habere: at Princeps legibus præscriptionis verè conferat jus præscribenti propter causas boni communis jam assignatas.

**CONDITIONES ad præscriptionem legitimam requisita sunt,** 1. Possessio civili, & talis fuit. 2. *Bona Fides*, quæ est credulitas, quæ quis putat rem esse suam, aut saltem nescit esse alienam. Requiritur illa toto tempore quo currit præscriptio, sic ut interrumpatur desinente bona fide, quæ non desinit etiam post tempus præscriptionis deprehensas rem fuisse alienam, ut dictum est. Quia tunc certus est rem legitime factam esse tuam. 3. Requiritur *Titulus*, in est ratio iustus, sine quo stare non potest bona fides, non tamen re ipsa iustus: quia hic per se transferret Dominium. 4. *Tempus lege statutum* quod varium est, scilicet. *Breve*, id est, 10. annorum; *longum*, vel longissimum, id est, 30. aut 40. annorum; vel *immemorabile*, id est, cuius initium non extat memoria etiam apud illos qui senes sunt, quorum memoria ad anteriora tempora magis extenditur.

*Dubius* an res sit sua, non est possessor bonæ fidei, adeoque non præscribit, nisi dubium supervenerit possessioni inchoatæ bonæ fide, cum persuasione, quod non obstante tali dubio sibi liceat illam retinere, ex eo quod sit melior conditio possidentis. Si verò dubitet, an sic possit eam retinere, eò ipso desinit esse possessor bonæ fidei: Cum non liceat operari ex conscientia dubiâ perseverante, si verò titè deponitur.

*Mobilia privatorum* præscribuntur triennio: *immobilia* longo tempore. Contra *Ecclesiam*, Civitatem, Fiscum præscribitur Tempore longissimo: *Servitutibus* merè personales, ordinariè præscribuntur ut res immobiles. Libertas à *Servitute mancipii* præscribitur saltem annis 20. *Beneficium Ecclesiasticum* sine titulo non præscribitur; cum titulo colorato præscribitur certo tempore. Quilibet *Debitor* præscribitur annis 30. Si res *hypothecata* bona fide possideatur à debitore, actio hypothecaria extinguitur post annos 40. si verò ab extaneo, post 10. annos inter presentes. *Res sacre* & *sanctæ* non possunt præscribi præscriptione ordinariâ; *Res sacre* nullo modo præscribi possunt: Horum singula in iuribus fundantur, & ad Juristas præcipue pertinent.

CAPUT II.

De CONTRACTU in genere, requisitis ad valorem illius, Promissione, Donatione, Devotio, &c.

**CONTRACTUS** est pactum mutuum obligationem pariens; *Pactum* autem est duorum plurimve in idem consensus signis externis expressus. De quorū resolutiones particulares hic traduntur Tom. II. Tract. V. cap. III. Et in reliquo decursu ibidem.

R. P. Arjdek Tom. II.

Contractus dividitur, 1. Ex parte modi quo perficitur in quatuor species: Prima perficitur *traditione*, ut mutuum. 2. *Scripturâ*, ut emphyteusis. 3. *Certâ verborum formulâ*, ut stipulatio. 4. *Solo consensu reciproco* exterius expresso, ut emptio &c.

Dividitur 2. in *gratuitum* & *onerosum*, hic utrumque, ille ex unâ solum parte obligat. 3. In contractum *nominatum*, qui habet in iure nomen specificum, ut emptio; & *innominatum*, qui caret nomine proprio, ut permutatio. 4. In contractum *bonæ fidei*, & *stricti juris*: 5. In *nudum*, qui nullum à iure civili habet firmamentum quo pariat actionem in foro externo, ut simplex promissio acceptata, & in *vestitum*, qui habet ejusmodi firmamentum, ut emptio. *Pactum nudum* obligat in conscientia, quia licet jus civile illi non assistat ei tribuendo actionem, illud tamen non irritat, adeoque retinet vigorem, quem habet ex natura rei, inducitque obligationem in conscientia, ad quam sufficit consensus mutui externis signis sufficienter expressus, quorum singula ex Textibus Juris fultius confirmantur.

In Contractibus, *Error* vel *dolus*, qui non versatur circa rei substantiam, nec est antecedens, nullo iure contractum irritat, nec debet inde rescindi. Item, si error, vel dolus dans causam contractui non sit à parte contrahente, sed ab aliquo tertio, vel à propriâ simplicitate ejus qui decipitur, Contractus est quidem validus iure naturæ, cum habeatur consensus substantialis, est tamen rescindibilis. Quod si in casu Doli aut Erroris circa rei qualitatem contrahens solum consentiat sub hac conditione, si non decipiatur in rei qualitate, Contractus est iure naturæ nullus; Quia non habetur consensus absolutus, sed solum conditionatus, ideoque conditione illâ non subsistente, Contractus censeri debet invalidus.

Contractus *de re turpi nondum impletâ*, non est absolute validus, sed rescindi debet. Quia nemo potest teneri ex iustitiâ ad peccatum.

*Impleto* tamen opere turpi iure naturæ obligare in conscientia probabilis videtur: quia opus malum quatenus est vel ementi utile, vel facienti laboriosum, est pretio æstimabile, licet non quâ malum. Ejusmodi tamen contractus *iure civili* sunt invalidi, quo non obstante retinent vim obliganti in foro *conscientiæ*. Quia leges civiles, quando nihil obstat, ita sunt intelligendæ, ut non derogent juris naturalis dispositioni.

*Non esse tamen obligationem* solvendi pretium etiam post opus turpe præstitum, docent *Navarrus C. 17. n. 4. Durandus in 3. d. 39. Joann. Medina* Cod. de restitutione: *Comitolus* responsionum moralium q. 5. *Joann. Valerius* in differentiis utriusque fori Verbo *promissio*: quos refert & sequitur *Diana 1. Tom. 2. P. Tract. 2. Miscellaneo resolut. 40.* dicens esse sententiam probabilem, & practicè tutam. Citat eosdem accurate *Lugo de iustitiâ Disp. 18. Sec. 3. N. 68. & 59.* unde non est sententia solius Navarræ, uti *Vasquez* indicare videtur.

Illi omnes & soli possunt contrahere, qui habent liberam rei administrationem, quæ in contractibus præcipue spectatur. *Infantes* in iure dicuntur qui sunt septennio minores, qui necdum expleverunt annum pubertatis, id est, respectu masculinorum 14. respectu femininarum 12. *Puberes* verò qui illos annos expleverunt, idque ex juris dispositione constitutum est.

F 2 Pupilli

rsde  
kin

theo  
logia